



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hiob

Brenz, Johannes

Haganoæ

VD16 B 3079

Cap. XXI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36516

ANNO T. IN HIOB

hereditas impiorū, quā maledictio, ut est Leuit. 24. & Deute. 28. Porro, ijs prædictis sententijs, Sophocles non solum conatur Hiobem ab impia, ut putat, gloria ratione & hypocrisi, reuocare, sed etiam respicit in præsentē eius afflictionē, è qua colligit eius impietatis, ignorās interim & bonos & malos, eodē iudicio corripit, sed hos perdit, illos uero probari & liberari.

CAP. XXI.

Respondens Hiob dixit.
Audite audiēdo sermonem meum,
& agite pœnitentiam.

Sufferte me & ego loquar, & postea uerbum meum subsannetis.

Nunquid mihi cum homine querela est, ut non moleste ferat spiritus meus?

Conuertimini ad me, & obstupescetis & ponetis manum super os.

Nam & ego si recordatus fuero (doloris) tunc horreo, & apprehendunt carcerem meam tremores.

DIVERSA LECTIO.

Vbi nos legimus, agite pœnitentiam, Hebræus sic habet ותתי ותת תנומותי id est, sunt istæ pœnitentiæ uel cōsolationes uestre, Græcus pro

תְּנַחֲמוּתֵיכֶם, interpretatur ἀνάλασις, id est, consolationem, descendit enim à טַחַם, quod nunc consolari, nunc poenitere significat: si igitur legas, sint istæ consolationes uestræ, hanc habet sententiam: audite saltem sermonem meum, priusquam condemnetis eum, ut uel ex auditu uestro, aliquam consolationem adiciam.

AVDITE AVDIENDO &c.

Gravis ratiōis humanæ morbus est, quod plerunq; solita ea damnare quis aut non intelligat, aut nō placuit. Proinde Hiob, hortatur amicos suos, si gratum quid ipsi facere uelint, ut resipiscant, & non derideant, quæ nondum audierunt, nec intellexerunt. Audite, inquit, sermonem meum, siquidem me adcesseritis, ut consolaremini: en occasionem uobis præbeo, si enim diligenter sermonem meum animaduertentis non mediocri consolationis loco ducam: nam damnare quæ nondum audieris, nec intellexeris, morbus est, nō prudentia: proinde loquar primum: deinde, si uidebitur, aut damname, aut ridete.

NUNQUID MIHI CVM HOMINE &c.

Quod tam moleste feram has ad afflictiones, non adicieret, si cum homine mihi negotium ageretur, sic enim sperarem effugium, finem & liberationem: at cum Deo mihi res est, quem effugere non possum, cuius supplicium æternū est, qui ut est potentissimus, ita &

ANNOT. IN HIOB

nullo hominū in ius uocari potest. Proinde non
si indignus, & ægreferam manū eius, qui enim
posset, ut ego homo carneus, tantam iudicij diuini
lem ferrem? cuius possibile esset humeris cælū & ter-
ram gestare, quā grauem Domini manum. In Domi-
no quidem, tolerare possumus, quātumcunq; gra-
uissimas afflictiones, ut supra in Hiobe uidisti, sed recedens
Domino & iudicante, omnes uires pessum eunt.

CONVERTIMINI AD ME. Hanc iudicij
diuini insistentē molem, si uos amici consider-
aueritis, nō erit, ut me calūniemini, aut rideatis, sed
toniti potius obstupescetis, & admiratio uos capiet,
quā fieri possit, ut tam diu in tātis inferni flammis per-
durem, qđ enim patior, horrendū est usu, quid igitur
sensus? unde fit, ut quoties & ego tanti doloris re-
corder, tantū non præ horrore et tremore cōtabesce-
bā, sed parū hoc uos amicos meos mouet, quādo mihi
belle ualeatis, & cū uestri muneris esset me cōsolari,
potius calūnijs uestris dolorē meū augetis: hoc cū
est amici cādidi officiū? Porro si oīno ex afflictione
qua afficior, impietate pbare uolueritis, erit et pietas
ē scelicitate probanda. Cur igitur uidemus eos fortis-
simos natos qui sunt sceleratiores? Proinde, ut ē scelicitas
tate externa, non potest pietas probari, ita nec ex af-
flictionibus impietas. Quod autem impij scelices ui-
uant, sequitur.

Quat

Quare impii uiuunt, senescunt, ade-
que corroborantur diuitiis.

Semen eorum paratū est ante eos cum
ipsis, & germen eorum coram ipsis.

Domus eorum segura est a timore, &
non est uirga Dei super eos.

Bos eorum transit & nemo abomina-
tur, uacca eius euadit & non aboritur.

Germinant sicut greges paruuli eo-
rum, & filii eorum exultant.

Eleuantur secundum tympanum & cy-
tharam, & gaudent ad uocem organi.

Producunt in bono dies suos, & (uix)
in puncto infernum horrent.

Et dicunt Deo, recede a nobis, scien-
tiam uiarum tuarum nolumus.

Quis est omnipotens ut seruiamus ei?
Quid profuerit si occurramus ei?

QVARE IMPII VIVUNT. *Præcedens ca-
pitulum docuit impios maledictos esse, et quasi stercus pe-
rre: nunc Hiob hoc capite, docet impios florere, &
feliciter ualere, quasi diceret: quod antea tu Sophar
de impiiū maledictione differuisti, re ipsa declara-
to falsum esse: siquidem impij uicunde uiuunt, bene
habent, benedicti sunt, benedictū est semen eorū &c.*

ANNOT. IN HIOB

Porro non existimes Hiobem accusare sententias prioris capituli, quae uerissimae sunt, sed falsam Sophar coniecturam, quam ex uerbis carnaliter, & falso intellectus colligit, conabatur enim probare, Hiobem impium esse, quod impiorum iudicio & maledictione adfectus esset. Vterque autem tam Sophar in priori, quam Hiob in hoc capite, pulcherrimas & ueras productiones sententiarum, quanquam externa facie diuersas, sed ita tamen conuenientes: impij enim ante iudicium florent, & in honore sunt, quasi populus Dei sanctus, ut habes in hoc capite, manet autem eos in futurum tempore maledictio, perditio, & aeternus ignis, ut in priori capite & in fine huius habebimus.

Post leta, eueniunt tristitia impijs.

ADEOQUE CORROBORANTUR DIVITIIS. Hoc est, Si omnino ex afflictione impietatem colligitis, quid est quod impij foelices uiuant, senescant, & diuitijs benedicantur, cum interim pijs occidantur & conculcentur? Sic Hier. 12. Quare uia impiorum prosperatur? & Habacuc 1. Quare non respicis iniqua agentes, & taces deuorante impio iustiore se? Possunt & haec intelligi, quasi indignabundo animo ab Hiobe producerentur, quid est o Deus, quod impios benedicas, me uero immeritum & insonitum tanto supplicio adfligas.

SEMEN EORVM PARATVM ANTE.

Semen & germen, uel de agro intelligas, uel de filijs

lijs & nepotibus: Nam omnia longe diuersius impijs *Cur impij be-*
 maledicunt, quam sententia super eos lata sonet, maledi *nedictionibus*
 catur ager & horreum eorum, sed ecce horrea eorū *adfluunt.*
 & promptuaria plena, eructantia ex hoc in illud: ma
 ledicatur domus eorum, unā cum liberis & uxore: sed
 beccior eius sicut uitis abundans, & filij sicut nouel
 le plantaciones iuuetutis. Et filiae eorum composita,
 circumornatae ut similitudo templi. Hoc autem fit, ut
 impij subinde magis atq; magis obdurentur.

DOMVS EORVM SECVRA EST.

Sic enim aiunt apud Esaiam, Percussimus foedus
 cum morte, & cum inferno pactum fecimus, id est, se
 curus sumus: sic & Psalm. 72. In labore hominū non
 sunt, & cum hominibus non flagellantur.

DOS EORVM TRANSIT. Hoc est, non
 solum ipse impius ab hominibus benedicatur, sed etiā
 uellē & bruta eius animalia in honore habentur.

*Adfluentia
 foelix.*

VACCA EIVS EVADIT. Quod etiam uul
 gari prouerbio, abundantiam significante, sic effertur:
 Vacca nostra foetavit, hoc est, foelices sumus,
 omnia abunde nobis adfluunt.

**ELEVANTVR SECVNDVM TYMPA
 NVM.** Quando omnia adfluunt impijs, ideo rident
 gaudent, exultāt, ludunt, cōiuiantur, et choreas ducūt,
 hoc enim est eleuari secundū tympanū & cytharam.

ET VIX IN PVNCTO INFERNV B.

ANNOT. IN HIOB

**Mors repenti
na melior.** Id est, Quū moriendum fuerit, impij non diuturno morbo uexantur, sed momentanea morte occūbunt. Repentina autē mors, à Plinio summa scēlicitas uitae cōmendatur? Suetonius, Iulius inquit, Caesar, cū quoniam apud Xenophontē legisset, Cyrū ultima ualeitudine, mandasse quaedam, de funere suo, adspērnatus tam letum mortis genus, subitam sibi, celeremq; optauit, & pridie, quā occideretur in sermone nato super carnā, apud Marcū Lepidum, quis nam esset finis uitae cōmōdistimus? repentinū inopinatumq; prae tulit. Quod igitur Hiob ait impios uix ad punctū infernum horrere, significat, eos etiam hac parte scēlices esse, quod subito, & nullo dolore moriantur, cum inter impij cogantur, mille calamitates, mille mortes ferre.

ET DICUNT DEO, RECEDE A NOBIS.

**Hypocrisis lō
ge à deo abest** Id est, impij non curant, non requirunt Deū, imō potius reijciunt eum, dicentes, non ore, quo Deum honorant, sed impietate cordis, Recede à nobis: Hierē. 12. Prope es tu ori eorum, & longe à renibus eorum. & Matth. 23. Populus hic labijs me honorat, cor autē eorum longe est à me. Porro, reijciunt Deum, quotquot Verbum eius contemnunt, id quod hypocritis ualde familiare est, qui dicunt se in Deum credere, sed nolle sese noua hac (sic enim Euangelion uocant) opinione sordidari. Audi igitur quid Christus dicat, Ioan. 5. Qui non honorat filium (id est, non credit in Verbum)

bum) non honorat patrem, id est, non gloriatur se credere in Deum. Igitur quicumque Verbum Dei contemnit, dicunt corde ad Deum, recede à nobis, scientiam uiarum tuarum (quæ est Verbum) nolumus.

QVIS EST OMNIPOTENS? Hoc est, tam parum curant quid Deo placeat, sed suis cupiditatibus inserviunt, sentientes secum pietatem, & ueritatis obedientiam, parum prodesse. Quemadmodum in nostro tempore, hæ uoces audiuntur, quid profuerit, etiam si uitam nostram iuxta Euangelij rationem salutauerimus, quando qui diuersa uia ingrediuntur, æque belle, immò fœlicius uiuunt.

Ecce non (perdurabit) in manibus eorum bonum eorum, consilium impiorum longe sit a me.

Quam extinguetur lumen impiorum, & ueniet super eos interitus eorum, torquentes diuidet in ira sua.

Erunt sicut palea ante faciem uenti, & sicut quisquilia quam surripit tempestas.

Deus recondit filiis eius calamitatem, retribuetur ipsi ut agnoscat.

Videbunt oculi eius pernitiam suam, & a furore omnipotentis bibet.

Quæ complacentia eius in domo sua

ANNOT. IN HIOB

post ipsum? & numerus mensium eius dimidiabitur.

Quis Deum docebit scientiam, qui excelsos iudicat?

Iste moritur in robore integritatis suae, uniuersa eius (sunt) diuitiae & foelicitas.

Multralia eius plena sunt lactis, & medulla ossa eius irrigantur.

Alius autem moritur in anima amara & non comedit bonum.

Simul in puluere iacent, & uermis operit eos.

ECCE NON PERDVRABIT &c.

Ante docuit Hiob foelicitatem impiorum, nunc eorum iudicium recenset, ecce, inquit, quam foelicitate uiuant, & ualeant impij, non tamen constabit foelicitas in manibus eorum: proinde, longissime à me ab sit, ut ab eorum parte stem: propterea quod uideam, ut maxime nunc floreat, futurum eorum iudicium.

Impiorum foelicitas non duratura. Nam breui extinguetur lumen, id est, foelicitas impiorum, & uenit super eos inopinatus interitus. Porro, cum impij foelicitate impiorum tentantur, ad hunc modum consuetudines suas aduersus impietatem confirmare debent: nisi enim iudicium super impium, ob oculos ponant, scandalizati foelicitate eorum, ad impietatem deficient: ut habet etiam

etiam Psal. 72. Si dicebam, narrabam sic, ecce nationē
filiorum tuorū reprobavit, existimabam ut cognosce
rem hoc, labor est ante me, donec intrem in sanctua
rium Dei, & intelligam novissima impiorum.

TORSIONES DIVIDET. Hæc enim im
piorum fors est, quod maneāt eos perpetuæ torsio
nes, quas ipsis Dominus in ira sua diuidit, Psal. 2. Lo
quitur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit
eos. Et quemadmodum palea aut quisquilia à uento
depergitur, ita impij à tempestate iræ Domini, proj
ciuntur. Scriptura frequenter comparat impiorum cō
ditionem paleis, & quisquilijs, propterea quod his
tribus, propriissime ob oculos nostros ponitur, uelox
est à τὸς ὄκλιτος impiorum interitus, Psal. 1. Nō
sicut impij, sed tanquā puluis, quem projicit uentus à
facie terre, Esaiæ 17. Rapietur sicut puluis montium
à facie uenti, & sicut turbo coram tempestate.

DEVS RECONDIT FILIIS EIVS &c.

Quid? filius ne pro parente punitur? Alibi scri
ptum est, uisitans iniquitatem patrū, in tertia et quar
ta generatione, parentum enim scelera puniuntur in
filijs scelerum consortibus, et si malicia in parentibus
incepta, in filijs compleatur, incipitur & in parenti
bus supplicium, ac postea in filijs completur: de qua re
& supra nōnihil. In sons uero filius, ob fontem paren
tem nō iudicatur, nisi forte adfugatur, ut enim in bello

ANNOT. IN HIOB

eōmunia sunt mala ob uicinitatē, post bellū uero secernuntur fontes ab insontibus; ita in hoc mundo, cōmunes serē sunt parētis impij, & filij pij ad afflictiones, ob communem cognationem carnalem, in iudicio tamen, secernitur triticum à palea, & triticum congregatum in horreum: palea autem in ignem inextinguibilem.

Manifestū iudiciū impiorum cur?

RETRIBVETVR IPSI. Id est, manifestū iudicio peribit impius, ut agnoscat Domini supplicium esse. Sic Aegyptij dixerūt Exod. 14. Fugiamus Israelum, Dominus enim pugnat pro eis contra nos.

ET A FVRORE OMNIPOTENTIS BIB. Quod impij de calice furoris Domini bibant, scriptura aliās etiam testatur, Psal. 74. Calix in manu Domini, bibent ex eo omnes peccatores terrae. Hierem. 51. Calix aureus Babylon in manu Domini, imbruians omnem terram.

QVAE COMPLACENTIA EIVS. Hoc est, Omnia impiorum, etiam post mortem eorum maledicta erunt.

Prouerb. 10. Anni impiorum breues.

ET NUMERVS MENSIVM EIVS. Id est, impius moritur importune, non suo tempore, nunquam enim complet uitam suam.

QVIS DEVM DOCEBIT SCIENTIAM. Iudicia Dei sunt incōprehensibilia, & uia eius inuestigabiles: proinde, quod dominus bona impiorum omnia benedicat, pios uero adfligat, rationi humanae

ne incomprehensibile est: hoc igitur Domini eonsili-
um, potius adorari, quā inuestigari debet, neq; enim
quisquam hominū consiliarius Dei esse potest: quādo
solus ipse summus quosq; iudicet, à nemine iudicādus.

ISTE MORITVR &c. Hoc est opus Dei
quod inuestigare nemo potest, cur Deus malum homi-
nem faciat, nutriat, benedicat, & in fœlicitate, in ro-
bore, in plenitudine benedictiōis, ad sepulchrū ducat,
bono uero adfligat, maledicat, et in amara calamitate
in maledictionum plenitudine, ad sepulchrum pertra-
hat. In hoc opere, ratio humana, talpa magis cæca est,
fides uero, futuram uitam credens, facillime iudicat,
impos eleuari in hac uitā, ut futura deiiciantur: eadē
uero Eccle. 7. Vnus est interitus sapiētis, stulti, docti
& indocti, sic scilicet sensui & rationi adparet: at si
de aliud est iudiciū, de quo loco uide expositionē no-
tam in Ecclesiasten, utē Eccl. 8. Sunt iusti, quibus mala
proueniūt, quasi opera impiorū egerint, & sunt im-
pii, quasi securi sunt, quasi iustorū facta habeant.

Promittitur
Ecclesiastes.

Ecce noui cogitationes uestras, & sen-
tencias contra me inique excogitastis.

Quia dicitis ubi est domus principis?
& ubi est tabernaculū habitationū ipiorū?

Nōne quæritis (de illo sicut) transeun-
tes uiam: & signa eorū non agnoscitis?

ANNOT. IN HIOB

Quoniam ad diem afflictionis, retine
impus, ad diē indignationis producet.

Quis adnunciabit e facie eius, uiam
eius? & quæ fecit quis retribuet ei?

Et ipse ad sepulchra producet, & ad
aceruum festinabit.

Dulcuerunt ei glebæ torrentis, & post
ipsum omnis homo ducit, & ante ipsum
innumerabiles.

Quomodo consolamini me frustra? &
responsiones uestræ relinquunt iniquæ.

ECCE NOVI COGITATIONES VB
STRAS. *Apostrophe ad amicos: ecce, inquit, no-*
ui astus uestros: imprudenter enim, ne dicam impie,
loquimini o amici, ac pro uulgi captu (uulgus enim
Hebræo more, transeuntes uiam, dicuntur) iudicatis
eum impium esse, qui impiorum supplicia sustinet:
queritis enim, ubi est domus principis? & ubi est ha-
bitatio impiorum? hoc est, quandoquidem perit ty-
rannorum domus, & tabernacula impiorum non con-
stant, tua uero domus cõciderit, nec constiterit taber-
na culum tuum, tyrannus igitur es & impius. Sic uul-
gus iudicat eum malum esse qui adfligatur. An nesci-
tis, quid præ se ferat impiorum foelicitas, & qualium
futurorum signa sint, malorum benedictiones, similia
ter

Transeuntes
uiam.

ter quid portendant bonorum cruces? Congregantur Impij saginam
 Impij, aut Hierem. quasi grex ad uictimam, sanctifican-
 tur ad diem occisionis, hoc est, ideo benedicuntur, ut sint uictima
 in eternum maledicantur: uiuunt foeliciter, ut in foeli ire-
 cessive pereant. Quod enim saginentur bonis, in die
 occisionis saginantur, ut fabula habet de uitula,
 que se bouem arantem contemnebat: postea autem,
 uictima ad uictimam ducta, bos ait: heus uitula, ideo
 non laborabas ut immolareris. Pij uero crucifiguntur,
 ut tercia die cum Christo resurgant.

QVIS ADVNDCIABIT &c. Nemo potest
 iudicare ex presenti benedictione, quid de homine im-
 pios futurum sit, nam usque adeo uniuersa opera manu-
 am eius benedicta sunt, ut extrinsecus adpareat Do-
 mino acceptissimus, Ecclesiast. 8. Vidi impios sepul-
 crum, qui etiam cum adhuc uiuerent in loco sancto erant,
 laudabantur: & Eccl. 9. Sunt iusti, sunt sapientes,
 tamen nescit homo utrum amore an odio dignus
 sit, hoc est, rationi humane impossibile est, de pijs &
 impijs pronuciare, qui enim externa facie uidentur
 sancti, ij fere Impij esse solent.

Ex benedictio
 ne externa ne
 scit homo an
 odio uel amo-
 re dignus sit,
 hoc est, pius.

ET QVAE FECIT QVIS RETRIB.
 Id est, quis pronuciabit sententiam contra homi-
 nem, externa facie sanctum & benedictum, nisi solus
 Deus, qui reddit unicuique iuxta opera sua.

ET IPSE AD SEPVLCHRA PRODV

CETVR. Hoc est, impius etiãsi diu uideatur san-
tamen uel tandẽ ad sepulchrũ producetur, & pro
muni more unã cũ impiorum multitudine peribit.
enim festinare ad acerũ, unã cũ multitudine per-

DVLCVERVNT EI GLEBAE &c.

Glebae torrentis sunt uoluptates, & benedictiones
carnales, itaq; impij ideo peribunt, q̃a uixerũt p̃
mi sui libidine, in abundantia benedictionis, prater
traxerunt secũ in pernitiã maiores & minores, pro-
res & posteros innumerabiles, ruunt enim multi
impietate, fœlicitate impiorũ offensi et seducti. Eccl̃
s. Quia nõ profertur cito, cõtra malos sententiã, ideo
absq; ullo timore, filij hominũ perpetrant mala &c.

Benedictione
impiorum of-
fenduntur
multi.

QVOMODO CONSOLAMINI &c.

Id est, uana est uestra õ amici consolatio, & falsi
sunt sermones uestri, propterea quod ex afflictione i-
dicatis impiũ, & ex benedictione pium, id quod lon-
gissime à prudentia spiritus abest, qui neminem ab æ-
terna facie, sed à fide & infidelitate iudicat.

CAP. XXII.

R Espõdes Eliphaz Themanites dixit.
Nunquid Deo æquiparabitur uir?
æquiparabitur ne cum ipso intelligens?
Num placeret omnipotenti, quod in-
stam